



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118464**

§. 12. Lutheri epistola ad Papam submissione plena

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66414)

Secul. XVI.  
A. C. 1519.

§. XII.

*Lutheri epistola ad Papam submissione  
plena.*

*Ulemburg  
de script. Lu-  
theri cap. 2.*

Cum vero Pseffingerus & Spalatinus Saxoniae Electorem vehementer urgerent, ut Hæresiarchæ patrociniū dimitteret, Lutherus ab eo derelinqui veritus, die vigesima prima Martii ad Papam dedit epistolam humillimis verbis conceptam, in qua hæc significavit: permolestum mihi accidit, quod Sanctitatis suæ indignationem incurrerim; idque in præsentis rerum statu iniquius fero, quod non modo causam, qua tam potentis adversarii iram in me concitaverim, sed etiam eum placandi medium ignorem, equidem ad revocanda, quæ scripsi, ac docui, continuo urgeor, nec id recusor, dummodo prius erroris convincar, sique meam causam a viris ingenio ac eruditione claris, quibus Germania abundat, examinari, Sanctitas sua jubebit, facile manifestum erit, quod minus ego, plus vero Indulgentiarum Prædicatores Sanctitatem vestram offenderint; hi enim insipidis ac ridiculis sermonibus suis veluti ex tuo instinctu prolatis suæ duntaxat avaritiæ inservierunt, ac singulis diebus Ministerii ipsis concrediti sanctitatem profanarunt, hæc denique est eorum, qui  
me

me infimularunt indoles; unde Sancti-  
 tas vestra, nisi præventa esset, ex ipsis  
 horum accusationibus innocentiae meae  
 testimonium depromere posset. Cete-  
 rum, prosequitur Lutherus, *Deum testor,*  
*Et omnes creaturas, me nunquam id egisse*  
*serio, ut potestatem Ecclesiae Romanae, sum-*  
*mique Pontificis labefactarem, vel illius au-*  
*thoritati per fraudem quicquam detraherem,*  
 imo libere fateor, hujus Ecclesiae potesta-  
 tem eminere super omnia, nec illi quicquam  
 in caelo vel in terra præferendum præter  
 solum Christum; quin Et scripto in lucem  
 edito populum monebo, ut omnes in honore  
 habeant Romanam Ecclesiam, nec mihi te-  
 meritatem quorundam blateronum adscri-  
 bant, neve meam imitentur acerbitatem, qua  
 contra eandem Ecclesiam usus, imo potius  
 abusus sum, eaque de re me graviter deli-  
 quisse fateor. Porro necesse erat Saxo-  
 nes ab opinione retrahere, per quam in  
 impietatem prolapsi fuerunt; nec pro-  
 pterea ullam objurgationem promereor,  
 eoquod præpedire conatus sim, ne ava-  
 ritiae suspicione labes quaedam Romanae  
 Ecclesiae puritati inuratur, nec populus  
 indulgentias charitati præferendo sedu-  
 catur; ultimo tandem coram Sanctitate  
 sua protestor, nolle me ob ullius mo-  
 menti res Ecclesiae pacem perturbare,  
 sed potius me cunctis, quæ pro bono pa-  
 cis sit postulatura, subjiciam. Verum

E e 2

omni-

Sæcul. XVI.  
A.C. 1519.

Sæcul. XVI. A.C. 1519. omnibus hisce speciosis contestationibus Lutherus nonnisi fucum faciebat; quapropter Miltizius hanc epistolam utpotè nonnisi generalibus verbis conceptam haud sufficere existimavit, ac Luthero proposuit, quod totum hoc negotium Archiepiscopi Trevirensis iudicio committeret, proin Confluentiam contenderet, cum ibidem colloquium esset habendum.

## §. XIII.

*Lutherus Erasmus ad suas partes pertrahere conatus.*

*In vita Erasmi partim ab ipsomet, partim ab amicis script. Lugd. Bat. an. 1642* Huic quidem consilio annuit Lutherus; cum vero Cajetanum quoque huic colloquio interfuturum postea intelligeret, atque aliunde Papa causam ad Trevirensis Archiepiscopi tribunal evocari, ratum non haberet, Miltizii consilia successu caruerunt, Luthero interim unice intento, ut Sectatorum suorum numerum sparsis ubique erroribus auget. Jam supra meminimus, Philippum Melanctonem ad Lutheri signa transfugisse; hoc autem anno idem hæresiarcha ad suas quoque partes pertrahere conabatur Erasmus Virum percelebrem, cujus paulo ante mentionem ingessimus, nunc Historiam vitæ suæ altius repetendam suscipimus.

Eras-